Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

1202, obiit statim sequenti die post electionem. Hunc quoque Megiser Chron. Carinth. 15. Eckenbertus alias Egymbertus, Stephani Hungarorum Regis frater: filius Bertholdi Meran. Ducis, et dominæ Agnetis, quæ filia fuit Dedonis Comitis in Rochliz et Marchionis Misniæ: eligitur in antistitem Bambergensem anno salutis 1203. Præfuit laudabiliter annis triginta duobus. De reliquis sermo redibit inferius.

Filias Bertholdi Arenpeckius et Aventinus tres enumerant, Agnetem, Gertrudem, Hedwigem: quartam Mathildem addunt Bruschius, Brunner, Burglehner et cæteri quintam Juttam non improbabili conjectura addendam censet Roschmannus. De Agnete vide supra Add. 32. De Gertrude vide infra Add. 58. Mathildem fuisse Abbatissam Kytzingensem in Kizing, testatur Calendarium Diessense apud Hundium Stemmat. Bav. et anno 1254 mense Decembri defunctam. De S. Hedwige ~~ex vita ipsius apud Surium ad XV Octobris, ea excerpsi, quæ magis videntur memoranda~~ ~~incerti quidem auctoris, sed fide digni,~~ vide infra Add. 113.

~~Hedwigis iam in cælis beata, in terris e stirpe illustri orta. -- Fuit autem filia magnifici Principis Bertholdi Marchionis Moraviæ (corrige Marchionis Istriæ, Ducis Meraniæ) Comitis Tyrolensis (scilicet ejus regiones, quæ paulo post Comitatus Tirolensis appellatus est). Matrem habuit Agnetem, non minore generis dignitate illustrem, utpote filiam cuiusdam Marchionis et Comitis de Rorlechz (Rochliz)~~

39) De Jutta Roschmannus Differt. de orig. Fundat. Stams. p. II, c. 2 sic disserit: Juttam quidem Meraniæ Ducissam sibi matrimonio junxisse Albertum nostrum (Teriolensem) Hundius, Brandisius, Burglechnerus cum Marco Henninge in Iconibus Tyrolensium Principum Comitum, imo omnes, quos vidi, affirmant. Hundius tamen, cujus filia fuerit, se ignorare in stemmatologia Comitum Andecensium fatetur, neque Kælerus in Tabula Ducum Meraniæ Genealogia illi locum fecit, recentissimus tamen Tabularum Genealogicarum author Hübnerus in hoc ipso Ducum Meraniæ stemmate filiam Bertholdi IV. facit, cujus equidem asserti, ut et aliis, sic et hic nullam rationem addit: mihi tamen istud improbabile omnino ~~non~~ haud videtur; Burglechnerus enim noster, etsi cujus filia fuerit Jutta, se nescire professus sit, post Ottonis tamen II. Meraniæ Ducis obitum in bona illius post mortem vacantia successisse Albertum nostrum jure sanguinis ~~innuit~~ etc. Albitius Stemmat. Princ. determinate quidem, etsi sine documento, ponit: Albertus Comes Tirolis 1229. moritur 1254. Uxor Jutha filia Bertholdi 4i Ducis Meraniæ. [Cæterum Juttam fuisse ~~Bertholdi Ducis Meraniæ~~ Suadet hoc etiam ætas

[Meichelbeckius Chron. Buran. p. I, c. 18. Ea denique, quæ intra alpes ad Oenum, et Athesin sita erant, obtinuit Albertus Comes Tyrolis uxoris nomine, quippe qui Juttam, Ottonis I. seu senioris, Ducis Meraniæ sororem matrimonio sibi sociaverat. Sane cum Albertus iste titulum Ducis Meraniæ sibi non arrogaret, cessavit deinceps nomen Ducatus Meraniæ, ejusque dominia cum Comitatu Tyrolis coaluere.